

Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan.
Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In
Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In
singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

5. De ingressu ad orandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](#)

alarum Seraphim, quibus ad Deum attollimur, indéque purgati, illuminati, atque consummati, regredimur ad perficiendos alios: quia non debemus profectu proprio esse contenti, nisi & alios juvemus. Deinde ita ex his Meditationibus aliæ aliis convenienter: ut quivis exercere se possit aliquando in omnibus, tametsi non eodem modo. Nam Perfectus, ex quibuscumque colliget fructum unionis: Incipiens autem seu Proficiens, pro sua necessitate, juvari poterit ex qualibet etiam Meditatione. Sed & Imperfectus potest aliquando assurgere ad actus unionis: ut & Perfectus timore concuti, ob admissa peccata. Et est varietas ingeniorum: ut quidam à suppliciis minus percellantur, ad detestanda peccata: magis autem ex consideratione divini amoris. Ordinariè autem, viâ incedendum est cujusque gradus propriâ, & Meditationes adhibendæ ac accommodatæ.

CAPUT V.

De ingressu ad orandum.

ANTE orationem præpara animam tuam, & Eccl. 19.
Anoli esse quasi homo, qui tentat Deum. Huc Materia pertinet præparatio certæ materiæ, & digestio præparata: in puncta: alioqui anima evagabitur per varia sine fructu. Licet autem sequi impulsum Spiritus sancti, si quando trahit aliò à materia proposita, dum non leviter fiat.

Primùm igitur cogitabimus Deum præfitem, qui cùm sit ubique, non acceditur ad illum sentia.

A 5

pas-

10 *Introduct. ad Medit.*

passibus corporis, sed fide vivâ præsentia ipsius.

Variè autem cogitari potest præsens, vel tanquam mare immensum me circumvallans, & continens, vel tanquam intrâ me existens per essentiam, præsentiam, & potentiam. Et hoc

Mat. 6.6. est, quod ipse Dominus jussit: *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum.* Pete secretum cordis, & occlude ostia sensuam tuorum. Quod si in hac repræsentatione præsentia Dei, sentiat se homo affici singulariter, morari in ea licebit: ordinariè autem non, nisi ad se sistendum mente coram Deo: à cuius conspectu in reliquo etiam orationis cursu non est discedendum, ut monet David:

Ps. 18.15. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper,*

Ps. 54.13. sed præcipue in colloquiis, quando effundo orationem meam in conspectu ejus, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

Reverentia.

Secundò exhibenda est profunda reverentia Deo præsenti, tum gestu corporis, tum animi sensu, semel iterum ac tertio flexo poplite venerabitur illam majestatem, tanto majori jure, quam id præstatur Regibus terrenis: dein etiam procidimus ad terram, exemplo Christi, qui

Heb. 5.7. *preces supplicationesq; cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Oratio præparat.

Post hæc in loco orationi designato genua flectam, & cruce me signabo, præmittens illud: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos DEUS noster:* ne ab illis impediatur in orando. Tum invocabo SS. Trinitatem: *In nomine Patri, & Filij, & Spiritus sancti,* in cuius virtute insti-

instituo, orationem auspicari. Sunt, qui præmit-
tant etiam confessionē generalem. Quia *Justus Prov. 18.*
in principio orationis accusator est sui. Et sunt, qui ^{17.}
ab actione gratiarum ordiantur, ut S. Basilius
monet: in quo sequi licet propriam devotio-
nem. Sed illud tamen ab omnibus servandum,
ut aliquā brevi precatione dirigatur præsens o-
pus ad gloriam DEI, & postuletur gratia rectè
perficiendi.

CAPUT VI.

*De difficultate meditandi, & de
distractionibus.*

Meditatio, quæ est operatio mentis, & dis- Difficul-
cussio propositæ materiæ, magnam habet tas Me-
difficultatem, ut absque evagatione fiat: de quo ditat.
etiam Sancti queruntur. *Cogitationes meæ, in- Job. 17.*
quit Job, *dissipatæ sunt, torquentes cor meum:* ^{11.}
Et David: *Cor meum dereliquit me.* Provenit au- *Ps. 39.*
tem ex diversis causis. Vel à dæmone satagente ^{13.}
impedire fructum orationis, vel ex conditione
phantasiæ per se vagæ & volubilis, vel ab affe-
ctibus immortificatis, mentem ad se rapienti-
bus, vel à curis sollicitantibus animam, atque
pungentibus, vel à remissione & ignavia, vel de-
nique à defectu discursū.

Universè oportet rem meditandam probè
concipere: deinde circa illam expendere causas,
effectus, circumstantias. Velut in mysterio In-
carnationis; primò rem ipsam, prout fides do-
cet, menti distinctè objiciam: deinde conside-
rabo